



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus I. De existentia & essentia libertatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

DISPUTATIO VI.

DE

Voluntario libero.

Voluntario in communi & genericè considerato, subnectimus præcipuam speciem ipsius, nempe voluntarium perfectum & liberum, actibus hominis proprium, cujus præliminaris notitia multum conducit ad expediendas difficultates in Tract. de gratia & merito occurrentes.

ARTICULUS I.

De existentia & essentia libertatis.

SUMMARIUM.

1. Triplex acceptio libertatis juxta oppositionem cum servitute, coactione, necessitate.
2. Quid indifferentia contrarietatis & contradictionis?
3. Quid indifferentia privativa & negativa?
4. Quid indifferentia potentialis & actualis?
5. Activa, non passiva indifferentia est de essentia libertatis.
6. Doctrina fidei de existentia liberi arbitrii.
7. Libertas est formaliter in sola voluntate.
8. In intellectu verò radicaliter.
9. Est formaliter etiam in actu voluntatis.
10. Libertas potentialis adequatè identificatur cum voluntate.
11. Nec minùs libertas actualis est adequatè intrinsicè actui voluntatis.
12. Et identificata cum illo.
13. Deducitur doctrina de actu dilectionis in Christo.
14. Vindicantur Bannez & Alvarez à calumniam.
15. Definitio libertatis.

§. I.

Acceptiones libertatis & indifferentia.

1. **N**omen libertatis triplici sensu accipitur. Primò prout opponitur servituti, sive civili, de qua loquuntur jura, sive morali servituti peccati, de qua 2. Petr. 2. Ille est servus peccati, qui facit peccatum. Et Rom. 6. Liberi a peccato servi facti estis justitiam. Secundò, prout opponitur coactioni ab extrinseco, quâ libertate gaudent omnes actus voluntatis elicit, quantumvis necessarii; siquidem omnes spontanei sunt & voluntarii. Tertio propriè hoc loco accipitur, prout opponitur necessitati, sicquè essentialiter dicitur quendam indifferentiam ad actus, terminos, objecta contrariè (si est indifferentia, vel libertas contrarietatis, & quoad specificationem) opposita, ut amorem & odium, bonum & malum &c. vel ad terminos & objecta contradictionis (si est indifferentia vel libertas contradictionis, & quoad exercitium) opposita, ut agere, non agere; amare, non amare.
2. Ipsa quoque indifferentia variè dividitur:

nam ut præmittam modò insinuatam divisionem in indifferentiam contrarietatis & contradictionis, indifferentia aliquando est passiva si sit indeterminatio ad aliquid recipiendum; aliquando activa, si ad aliquid agendum: aliquando partim activa, partim passiva, si sit utroque modo indeterminata uti voluntas humana respectu suorum actuum elicitorum.

Secundò dividitur indifferentia in privativam & negativam, quæ posterior aliquando etiam positiva, vel objectiva vocatur. Negative indifferens dicitur, quod ex se non magis est determinatum ad hoc objectum quàm ad illud, cui DEUS in priori signo rationis ante decretum creandi mundum, potest concipi negativè indifferens, eò quòd ex se non sit magis determinatus ad productionem quàm non productionem mundi. Privativa indifferentia dicitur carentiam utriusque actus oppositi, v.g. volendi, nolendi. Negativa verò consistit cum ipsomet actu.

Tertio dividi potest indifferentia in potentialem & actualem. Potentialis incidit cum privativa, & dicitur puram potentiam sive actum primum indeterminatum ad actus oppositos. Indifferentia actualis (de qua potissima est difficultas) dicitur actuale exercitium liberi arbitrii ad alterutrum oppositum.

Si jam quæras: quanam indifferentia ex modo relatis sit essentialis libertati? paucis cum Alvarez lib. 12. de auxiliis, & com. Thom. respondet. Non passivam vel potentialem, sed activam & actualem, non privativam sed negativam, contradictionis non contrarietatis, ad ipsius essentia. Ratio est: Libertas, tanquam perfectio simpliciter simplex, formaliter & secundum suam essentiam reperitur in DEO: sed indifferentia passiva & potentialis non reperitur in DEO, velut ostendimus in Tract. de DEO: reperitur verò indifferentia negativa, activa, actualis, contradictionis. Ergo non illa sed ista est de essentia libertatis.

§. II.

Existentia & subjectum Libertatis.

Dari liberum hominis arbitrium, & ex illo actum liberum, non tantum prout oppo-

aitur coactioni, sed etiam necessitati, fides docet, definita in primis contra Stoicos & Manichaeos, inevitabili necessitatis fatalis jugo omnia subjicientes, in Concilio Bracharenfi r. c. 9. & contra Lutherum & Calvinum liberum arbitrium peccato Adami extinctum asserentes, in Trident. Sess. 6. can. 5. Fundamentum primum est S. Scripturae locis plurimis, ut Deut. 10. v. 19. Gen. 4. Eccl. 31. v. 10. &c.

Ratio est primò à priori: Voluntas tanquam potentia caeca sequitur ductum intellectus, ita ut si intellectus exhibeat omnimodum rationem boni (quod aequatum est voluntatis objectum) totum quoque trahat appetitum: si non exhibeat omnimodum, sed aliquam admixtam rationem mali, hoc ipso non trahit totum appetitum: atqui intellectus non repræsentat in objectis particularibus omnimodam rationem boni, cum nulla ex istis habeat necessariam connexionem cum bono in communi, & hoc ipsum experientia doceat: Ergò etiam voluntas circa nullum objectum particulare necessitatur.

Ratio est secundò à posteriori: si non daretur liberum arbitrium, nulla essent hominum merita vel demerita: sed consequens est absurdissimum, & contra omnem mortalium sensum, teste D. Augustino lib. de duab. anim. c. 11. Unde dicerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui id non faciat quod facere non potest. *Nomine ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poetae, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antiquarii in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

Porro liberum arbitrium seu libertas formaliter in sola voluntate, radicaliter verò reperitur in intellectu. Ratio primi est, quòd illi potentia competit formalis libertas, quæ ex sua natura invenit in proprio objecto objectivam indifferentiam: sed hanc in suo objecto connaturali invenit voluntas, non autem intellectus; ergò. Minor probatur: Bonum contractum ad inferiora in particulari habet objectivam indifferentiam; eò quòd semper habet admixtam rationem mali, etsi, quâ parte trahit, ex altera terreat appetitum. Sed voluntas per suos actus versatur circa bonum particulare & contractum: Ergò.

Adde, quòd nullibi magis resplendet libertas, quam in electione, qui est proprius actus voluntatis; & quòd independenter ab actu & influxu voluntatis nullus actus denominationem liberi sortitur.

Ceterum, quòd libertas in intellectu formaliter reperiri non possit, Ratio est: quia objectum intellectus perfectè cognitum, non relinquit indifferentiam ad assensum, vel dissensum, vel utriusque omissionem. Aut enim objectum apparet omnino verum, aut falsum, aut dubium, aut probabile. Si omnino verum, intellectus est determinatus ad assentiendum: si plane falsum, est determinatus ad dissensum: si dubium, tunc hæret inter assensum & dissensum: si probabile, tunc ambiguitas intellectus tollitur per impulsum voluntatis. Radicaliter nihilominus indifferentia reperitur in intellectu: quia

voluntas tanquam caeca potentia non alia de causa fertur indifferenter in suum objectum, nisi quia illud ab intellectu partim sub ratione boni, ex quâ possit appeti, partim cum defectu bonitatis, ex quo respui possit, proponitur; ideoque formalis indifferentia voluntatis originatur & radicatur in judicio intellectus indifferenter proponente objectum.

Non autem minùs formaliter libertas reperitur in actu quàm in potentia voluntatis. Nam primò: Non minùs actus liber intrinsicè differt à necessario, quàm potentia libera intrinsicè differt à necessaria: ergò sicuti libertas est intrinsicè potentia, sic etiam actus. Secundò: Libertas divina est actui divino adæquatè intrinsicè, ut dictum in 1. p: ergò etiam creata libertas in actu secundo est actui adæquatè intrinsicè. Tertiò: In actu secundo debet relucere perfectio, quæ continetur in actu primo, ideoque, & actus potentia necessaria habet intrinsicè necessitatem, & actus potentia vitalis intrinsicè vitalitatem: ergò etiam exercitium actuale potentia libera quæ talis debet esse formaliter liberum.

§. III.

Entitas & definitio libertatis.

Hinc intelliges, libertatem potentialem & in actu primo aliud non esse, quàm virtutem & efficaciam electivam voluntatis ab ipsa realiter indistinctam, quæ in obliquo connotat objectivam judicii indifferentiam, tanquam radicem essentialem, ac proinde esse voluntati adæquatè intrinsicè. Ratio est, quia posita objectivâ rationis indifferentiâ, hoc ipso formaliter & secluso omni alio voluntati ab intrinsicè competit independentia dominativa & electiva, ut possit vel per prosecutionem in illud tendere, vel illud fugiendo respicere; siquidem ipsius intrinsicè proportio & capacitas à tali objecto non expletur: sed hæc dominativa & electiva independentia est ipsamet libertas: ergò.

Sed quid dicendum de libertate actuali, quæ videlicet reperitur in actibus elicitis voluntatis? Molina vult esse denominationem extrinsecam; Thomistæ communiter, esse perfectionem intrinsicè, quam multi in censum referunt entitatum modalium. Respondeo cum Gibbone disp. 9. dub. 4. esse perfectionem actui voluntatis adæquatè intrinsicè, & ab illo indistinctam, ita ut in recto dicat actum voluntatis, in obliquo verò connotet electivam & dominativam voluntatis efficaciam regulatam per judicium objectivè indifferens, ut ejus iste actus voluntatis potuisset absolute non poni.

Ratio est primò. Actus principii necessarii habet intrinsicè necessitatem, & actus potentia vitalis habet intrinsicè vitalitatem, quia in actu secundo debet intrinsicè relucere perfectio, quæ continetur in actu primo: ergò ex eodem capite actus potentia intrinsicè libera habet intrinsicè libertatem.

Secundò. Non minùs actus liber intrinsicè differt à necessario, quàm potentia libera differt à necessaria: sed ista differt intrinsicè: ergò & ille.

G 3

Tertiò.

Tertiò. Libertas divina, tanquam perfectio simpliciter simplex & adæquatè increata, est actui divino adæquatè intrinseca (cùm non detur in DEO libertas per modum actus primi, ut ostendimus in tract. de DEO.) Ergò etiam libertas participata in actu secundo est actui adæquatè intrinseca.

12. Hanc ipsam potè perfectionem esse realiter indistinctam ab actu libero, præter universalem rejectionem entitatarum (quam ex Philosophia, suppono,) probatur: Sicuti potentia activa formaliter constituitur agens in actu secundo per ipsum exercitium agendi, ita potentia in actu secundo libera formaliter constituitur per exercitium libertatis: sed exercitium libertatis habetur & concipitur pro illo instanti, pro quo concipitur actus egrediens à potentia indifferenti, & regulata per indifferens iudicium rationis præsuppositivè ad quemcunquè modum vel respectum &c. Ergò totus conceptus libertatis in actu secundo salvatur per ipsummet actum elicito, quatenus connotat iudicium indifferens, seu essentialè suam regulam & radicem, quà ablatà mox desinit tribuere denominationem liberi. Sicut ergò in multorum Philosophorum sententia veritas est intrinseca perfectio cognitionis, quæ tamen in recto nihil dicit ab ipsa cognitione distinctum, sed hoc ipso, quòd objectum extra cognitionem existens ita se habeat, prout cognitio illud enunciat, tribuit denominationem veri; si aliter existat, tribuit denominationem falsi: ita libertas est intrinseca perfectio in actu elicito voluntatis, ut nihil in recto dicat ab ipso actu realiter distinctum: sed actus ipse, quamprimùm connotat propositionem indifferentem intellectus, tribuit denominationem liberi; hæc remotà tribuit denominationem necessarij. Unde sicut in illorum Philosophorum sententia, mutatà connotatione objecti, idem actus potest ex vero transire in falsum, ita idem actus voluntatis, mutato iudicio intellectus seu necessario connotato, potest ex necessario in liberum, vel ex libero transire in necessarium: veluti cùm motibus primò primis accedit deliberatio; vel cùm actus charitatis in ultimo vitæ instanti liber necessario continuatur in patriam.

13. Hinc intelliges primò: cur multi Theologi probabiliter admittant, eundem actum dilectio-

nis in Christo, simul fuisse & liberum, quatenus erat actus viatoris, regulatus lumine scientiæ infusæ; & necessarij, quatenus erat actus comprehensoris regulatus lumine gloriæ. Eadem quippe entitas juxta diversa connotata potest tribuere diversas denominationes: unde si in Christo compossibile fuit duplex iudicium, unum, quo sine indifferentia vi luminis gloriæ; alterum, quo cùm indifferentia vi scientiæ infusæ repræsentabatur amabilitas Divinæ bonitatis, non est, cur juxta hæc diversa connotata idem actus dilectionis non possit simul tribuere denominationem liberi & necessarij.

Intelliges secundo. Ab Ysambertho & Petro à S. Joseph immeritò imponi Bannes & Alvarez, quasi totam liberi arbitrii indifferentiam collocarent in indifferentia iudicii, non autem in voluntate: non enim formalem sed radicalem solum indifferentiam tribuunt iudicio intellectus, ut ex ipsorummet verbis ostendit Illustrissimus Rhedingus *bic q. 3. a. 2. contro. 2. a. 6. & 7.*

Sic exposità humani arbitrii libertate, necesse est definitionem inspiciamus. Definiunt Thomistæ, quòd sit *Dominiun* *qui actus ad opposita, vel facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet*. Cuius definitio sensus est; quòd libertas importet independentiam agentis ab objecto, in cuius potest versari, vel actu ita versatur circa unum objectum, ut æquè possit versari circa oppositum. Unde juxta hanc definitionem, actus liber ille erit, qui procedit à facultate, seu a voluntate indeterminata ad utrumlibet.

Communior est altera definitio; libertas est *facultas, quæ postis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere*. Et actus liber est, qui procedit à suo principio, ut postis omnibus prærequisitis posuerit non procedere. Quæ quidem definitio duas includit difficiles & celebres quæstiones. *Primò*, quænam sint illa requisita ad agendum, & an inter illa divina physica præmotio sit computanda? *Secundò*, utrum *Ipse posse agere & non agere*, sit accipiendum in sensu composito, vel diviso? ad quas quæstiones dum Thomistæ & Molinistæ diversissime respondent, etiam hæc data definitio ab utraque parte in certo sensu acceptatur, in alio repudiatur: ut utrique difficultati satisfiat, sit

ARTICULUS II.

An inter necessaria requisita ad agendum sit prædeterminatio physica?

SUMMARIUM.

1. In quibus RR. cum Thomistis conveniant & discrepent?
2. Expositio physica prædeterminationis.
3. Adstruitur prædeterminatio auctoritate S. Scripturæ & Conciliorum.
4. Expenditur efficacia illarum auctoritatum.
5. Morio asserta à Script. & Concil. non est simultanea:
6. Nec tantum moralis,
7. Locus S. August. contra motionem moralium.
8. Et simultaneum tantum concursum.
9. Prima conditio prædeterminationis, ut sit applicatio virtutis ad operandum, ostenditur ex D. Th.
10. Item secunda conditio, ut sit prævia.
11. Acertia, ut non sit tantum moralis, sed physica.